



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Remedium tertium. Secum etiam de scrupulis non multum agat, disputet,
aut deliberet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

est, & vitio suo scrupulosus, alienos metus intelligit, præsertim eius cuius virtutem aestimat, illicò & suos metus auget, & novos veteribus adiicit. Timet enim ea, timeri quæ videt, & quæ antea timenda esse minime suspicabatur. Abrumpatur itaque eiusmodi commercium; neque morbos suos detegat scrupulosus iis, à quibus nullum malo suo remedium relaturus sit; sed contra potius noua concipiet phantasmata, nouasque peccatorum species, per quas longè maximum suo malo adiciet incrementum.

R E M E D I V M III.

Scrupulosus nequidem secum de scrupulis multum agat, disputet, aut deliberet.

Diabolus scrupulosus otium & solitudinem suadet, vtrumque cauendam.

NEQUE aliena tantum de scrupulis declinanda sunt colloquia, sed & illa quæ quisque secum instituit. Hæc enim altera est Dæmonis techna. Vt scrupulosum hominem dementet facilius, ei solitudinem suadere nititur, & persuadere tandem vt rebus omnibus, functionibusque procul amandatis, multum secum agat, multa cogitet, multa expendat. Genio autem suo, cogitationibus, inquam, objectis indulgere scrupulosa mens dum incipit, tum verò velut agmine facto vndique irruunt rationes falsæ, peccatorum adumbratæ species, vani motus, totamque & phantasmam, & animam simul infestant crudelissime. Itaque otium, solitudinemque deuita studiosissime, ne mens dum nihil agit, agatur in transuersum, atque agat pessime.

Scrupulosos secum de scrupulis non loquatur.

Neque tacita secum de scrupulis trahat colloquia, præsertim nocturna; longè enim facilius ea te perdent, quam aliena. Cum enim naturam suam pauido id proprium sit, vt ea sibi semper obijciat quæ maximè metuit, sane hæc tibi semper, quæ maximè vrgeris, propones materiam, & sic excrecent phantasmata quæ metus faciunt. Rursus vt ne vanus esse credas, rationes vndique conquirens fulciendis scrupulis; & cum iis semper admixta sit superbia, bonaque sui ipsius existimatio, nemini facilius credes quam ipsimet tibi.

Tecum itaque de scrupulis ne colloque re. Id autem vt clarior

ruius

rius quid sit explicem; ne, inquam, inquire an bene an verò male fundata sint ea quæ obijciuntur animo; an judicia sint quæ de rebus efformasti, an verò ludicræ fuerint mali species, & simulacra quæ phantasiæ oberrarunt tantummodo; an primæ mentis comprehensiones, id est iudiciorum lineamenta prima. Rursum, an rationes occurrentes fuerint certæ, an dubiæ, an saltem non probabiles. Hæc, inquam, & his similia, ne tecum age, abrumpendæ sunt penitus cogitationes hæc, neque diutius protrahendæ. Quantumcumque enim tibi videaris sapere, tamen id certò tecum statue, non esse te eâ mentis perspicacitate, hæc qui liquidò possis dissolvere. Intricatum est filum; discindi potest a te, explicari verò sic ut plana tibi sint omnia, minimè: quò magis ea obuoluis animo, eò tricus hisce laberinthæis strictius inuoluèris, & intricaberis infelicius.

*Quid sit
secum de
scrupulis
loquis.*

26. An ergo inquires, actiones præteritas dum examino, discutere penes me non possum an blasphemis cogitationibus, aut impuris suggestionibus consenserim, an non consenserim? Respondeo; quòd si eæ scrupulorum tibi sint materia, & in quâ solita pateris animi tormenta, minimè tibi illis examinandis esse inhærendum. Verùm de examine Conscientiæ ritè instituyendo, amplior Tractatu I. I. dabitur disputandi locus. Istud nunc dico; quòties scrupulosus non ita certus est de malitiâ actionis suæ jam peractæ, ut juramento affirmare audeat, se peccatum sponte suâ, absque vllâ incogitantia, & plenâ libertate commisisse, istud debet statuere, sese nullam actionis suæ peruersitatem voluisse, ac proinde non peccasse. Nam ut præclare Bossius, cum scrupulosi non tantum rationem, sed & umbram peccati ita horreant, ut eius tantum metu vexentur; non est credibile, eos rem expressè ut malam aggressos fuisse, vel aggressuros, quamdiu scrupulosi sunt. Non enim simul stant tantus peccati horror, ac ab eo voluntatis auersio, & libera eiusdem, licet expressè præcogniti, volitio. Ita ille. Quæ sane in hæc materiâ utilissima est sedandis scrupulorum moribus, doctrina.

*Nec præterita
multum
examinet.*

Boss. de
Consc.
n. 1084.

27. Saltem despiciere possum inquires, in rebus adhuc agendis, quid licitum sit quid illicitum, rationesque utrimque ad Conscientiæ meæ trutinam exigere. Ita tu quidem, qui nullum non prætextum scrupulis inducendis conaris obducere. Ast ego rursus assero, non istud oneris scrupuloso incumbere: satis sese deteget

*Neque de
faciendis
actionibus
multum
deliberet,
licitane
sint, an ille-
cita.*

deteget actionis illicitæ malitia, etiam si à scrupuloso studiosè non exquiratur. Quid hæc in parte aliis agendum sit tuse per aliquot Tractatus jam docuimus. Scrupulosi verò ab hæc indagazione abstinendum non minùs est, quàm ab illecebrofis blasphemisque cogitationibus; vtpote quæ haud paullò plus damni, præ his animo sint allaturæ. Illas itaque illicò discute; nam si tecum ipse agere incipias; rationumque hinc atque hinc militantium dissidia & momenta vis expendere, centum actutum præ foribus stabunt rationes, & cum singulis, centum scrupuli. Illud itaque ex indagazione illâ referes incommodi, vt qui in omnibus actionibus times peccati speciem, in omnibus etiam peccatum ipsum sis reperturus. Fingit enim sibi omnis timidus simulacra quæ timeat: sic qui mures expauescit, vbique sibi eos fingit: eosque dum fingit, non fictos sibi metus parit. Itaque ne cogitationibus eiusmodi, dum obueniunt, segniter & quasi per otium indulge: vires sumunt dum tractantur molli-ter & otiosè. Excute hæc prima scrupulorum semina quantum potes: si non potes, patere; modo sponte tuâ, animo ea non reuoluas; illudque certò statuas, te ex scrupulorum motu nihil quidquam acturum imposterum, sed forti ceruice jugum tam molestum, cum res feret, strenuè excussurum.

REMEDIVM IV.

Agat contraria iis quæ à scrupulis suadentur.

*Numquam
cedendum
est scrupu-
lis, sed a-
genda iis
contraria.*

ATque hoc quidem quartum est remedium; aries enimvero 28.
fortissimus, quiq̃ue expugnandis scrupulis necessariò debet
admoueri. Nempe vt erecto animo, quisquis sanari vult, scrupulorum suggestionibus sese opponat; sic, inquam, agat, vt numquam iis obediat aut succumbat, sed alia potius omnia iisque contraria exequatur. Si repetendum Psalmum, aut Rosarij recitationem scrupulus oggerat, adeò acta non reperat, vt contrà potius pergendum sibi esse statuatur, ideo quòd eiusmodi cogitatio menti inciderit; idemque in reliquis suggestionibus esto resistendi modus. Ratio in promptu est: cum enim scrupulos plerumque à Dæmone aut fuscitari, aut certè fuscitatis hostem importu-